

Quaestio medica. : quodlibetariis agitanda disputationibus, in Antonianis Medicorum Remensium Scholis, die mercurii 30. Julii, horâ septimâ matutinâ. / M. Henrico Macquart, ... praeside. ; An succorum dissolventium actio, praecipuum sit digestionis instrumentum? ; [Proponebat ..., Joannes Raymundus Bailheron ... : pro baccalaureatu.]

Contributors

Macquart, Henri Jacques, 1726-1768.
Bailheron, Jean Raymond, active 1755.
Université de Reims.

Publication/Creation

[Reims] : [publisher not identified], [1755]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/txjrpma7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DEO OPTIMO MAXIMO

VIRGINI DEI-PARÆ,

ET S. LUCÆ, MEDICORUM ORTHODOXORUM PATRONO:

QUÆSTIO MEDICA,

*Quodlibetariis agitanda Disputationibus, in Antonianis Medicorum Remensium Scholis,
die Mercurii 30. Julii, horâ septimâ matutinâ.*

M. HENRICO MACQUART, Professore Mallio Praeside.

An Succorum dissolventium actio, præcipuum sit Digestionis instrumentum?

I.

DIGESTIO est actio naturalis quâ cibi antè in ore preparati, mox im-
ventriculo ita alterantur ut ex iis nascatur pulticula illa cineritia quæ
postea in intestinis, ulteriore partium solutione, in liquorem lacteum
chyli nomine cognitum evadit. Opus nunquam satis mirandum quod
alimenta tam diversi generis, saporis, odorisque; vegetantia, animalia
acida, alkalina; acria, dulcia; amara, insipida; aromatica, inodora; oleosa, terrea;
aquea et temperature inter se permiscet, ut in iis nullus neque odor, neque sapor,
nisi dulcedo lactis amplius percipiatur. Ad tantam verd mutationem producendam quot-
& quanta per per canalem alimentarium vel leviter attendanti sece offerunt concurren-
tia. Hic dentes triplicis generis cibos dividunt, lacerant, conterunt; illuc calor humi-
dus ventriculi alimenta coquit, mollique tempore brevi in liquamen resolvit. Ibidem
aer in interstitiis ciborum compressus prius & quiescens, nunc autem a calore rarefac-
tus, omnia sibi opposita repugna diffingit, alimentorumque firmorem compagem sol-
vit. Inter ea ventriculus motu proprio, alternâque diaphragmatis actione, viscerumque
abdominis rectione adjutus, molli versatione alimenta modò huc, modò illuc impulsa
exercet. Unde quaque succorum dissolventium erumpit scaturigo, saliva, mucus fau-
cium, liquor œsophagi, succus gastricus, bilis utraque, succus pancreaticus, liquor
intestinalis, spiritus denique animales, quorum quisque alimentis, dum iis permisce-
tur, characterem imprimit animalem. Multa quidem & varia hic videmus digestionis
instrumenta; quodnam ex his sit præcipuum, & seire plurimi refert, neque ita ex-
tricatu facile est. Interim quod digestionis essentiam constituit, quod ubique, semper
& abundantius in totâ alimentorum via reperitur, ad quod denique omnia alia refe-
runtur, illud præcipuum vocandum esse digestionis instrumentum nemo negaverit.

II.

DIGESTIONIS essentia consistit in partium mucidarum, quæ sola sunt propriæ
nutritivæ, salinarum, & oleosarum extractione, earumque tam artificiosâ per-
mixtione ut exurgat humor albus, blandus, homogeneus qui in dolem animalis aliquæ
parte jam referat. Quod autem digestio sit extractio, illud abundè probat chyli com-
positio. Porro chylus ex multâ aquâ sive sero, globulis pinguibus & quâdam parte
mucilaginosâ constat. Illud & ars chemica & microscopium omnibus manifestè de-
monstrant; imò quotiescumque semina oleosa, verbi gratiâ, amygdalas dulces in
mortario, affusâ identidem aquâ, cum pistillo diù conterimus, toties liquorem
album dulcemque obtinemus, qualis est chylus, nisi quod hic ad naturam animalem

3

magis vergat. Jam vero hæc principia, nempè oleum & mucilago, abunde in omnibus quibus utimur alimentis reperiuntur, ut patet ex eorum analysi; aqua autem sufficit tūm ex potu, tūm ex salivā, succo gastrico aliisque humoribus diluentibus. Cū ergo principia ex quibus chylus conficitur integra in alimentis reperiantur, non videatur ad chylificationem putrefactionis motu aut aliquo fermento opus esse. Non tamen ad digestionis essentiam simplex sufficit extractio, sed præterea accurata principiorum permixtio necessariò requiritur: hāc enim deficiente, principia quæ sibi unita chylum blandum, omnibusque corporis partibus tūm liquidis, tūm solidis reficiendis inservientem constituunt, eadem separata totum corpus conturbarent, verbi gratiā, sal ab oleo secedens acredine suā solidas corroderet partes, oleum canales obstructos secretionibus redderet inhabiles, aqua item ab aliis principiis separata, statim diffueret. Denique ad essentiam digestionis necesse est ut caracter vitalis succis extractis imprimatur: digestionis enim scopus est ut alimenta suam paulatim deponant naturam, nostram induant. Quid autem ex omnibus digestionis instrumentis, principia alibilia facilius extrahit, intimius permiscet, melius denique characterem imprimit animalem quād succorum dissolventium actio: imò sola est quæ tria hæc digestionis essentiam constituentia immediatè producit. Cætera quæ ad digestionem concurrunt, terminum actionis suæ non assequuntur, nisi quatenus priorem adjuvant. Ponamus enim accuratum, qui sit in ore, tritum, calorem ventriculi humidum, aëris elastici expansionem, denique mollem massæ alimentariæ versationem, quid demùm fiet? Panis omniaque ferè vegetabilia acelcent, animalium carnes putrefcent, olea rancidam induent naturam, quæ quidem omnia, destructæ digestionis certa sunt indicia. Nulla hīc sicut per actionem succorum dissolventium fit extractio, nulla permixtio, nulla assimilatio.

I I I.

Hi Cautem nova elucescit ratio quā inducamur ad credendum succorum dissolventium actionem in digestione præcipuo munere perfungi. Quod enim ubique, quod semper, quod abundantius in totâ alimentorum viâ reperitur, illud certè præcipuum vocari debet digestionis instrumentum: porrò si ab ore ad anum usque, rotam alimentorum fistulam vel leviter oculis perlustremus, quot apparent glandulæ, imò viscera suos humores copioso jugique fluore ad alimentorum dissolutionem præbentia, ita ut nullum hujus tractus ferè sit punctum quod suo humore peculiari non scateat. De quantitate horum collectivè sumpta inter autores non multum constat, Quidam omnium humorum summam, qui intrâ diem naturalem secernuntur & in canalem alimentorum effunduntur, non infrâ (a) quadraginta libras medicas esse putant. Nec à vero multum recedere illud videbitur, si attendas ad exemplum hujus militis stationarii, cui, (b) cùm ductus Stenonis alter fuisset præscissus, per hunc canalem inter manducandum, idque per breve tempus, singulis vicibus tanta effuebat salivæ copia, ut plura madefaceret mantilia: atqui ex unâ tantum fluebat parotide humor, quanta ergo esse debet summa omnium humorum qui è tot glandulis, superficiebusque rōrem tenuissimum jugiter exhalantibus quotidie secernuntur. Quod autem de homine constat, illud in avibus, quadrupedibus, piscibusque eruditissimè demonstrarunt Brunnerus & Peyer. Ad quid verò tanta humorum ad digestionis officinam properantium copia, nisi esset præcipuum digestionis instrumentum, præsertim cum aliundè constet in piscibus digestionem sola ferè succorum actione perfici. In iis enim calor admodum debilis est, tritusque nullibi contingit neque in ore, integros vorant pisces, neque in ventriculo qui membranaceus est. Nihilominus in piscibus digestio, ut in quadrupedibus, quanquam longiori tempore, æquè perficitur. In ventriculo mustellæ fluvialitis reperit Brunnerus.

(a) Haller. pral. p. 328.

(b) Mém. de l' Acad. des Scien. 159.

(c) pīscem cujus squamæ, carnes & spinæ in liquamen dissolutæ contabuerant. Par
pīscis devorati dextra quæ ventriculi parietem contingebat, menstrui efficaciam jam
experta erat, squamis carnibusque resolutis; sinistrum & oppositum latus, propter
curvaturam, parieti ventriculi non contiguum, sed aversum, squamis adhuc tectum
fuit & integrum; intestina quoque pīscis integra erant. Usque adē verum est, succum
ex glandulis stomachicis exsudantem, assumpta dissolvere & successivè corticatum,
prout assumptorum superficies obvenit & parietem ventriculi contingit. Neque fer-
mentationi aut putrefactioni illa mutatio tribui potest, quandoquidem si ex fermenta-
tione orta fuisset dissolutio, interiora aut exteriora molis alimentariæ contabescere
debuissent.

I. V.

ET certè illud merito vocatur præcipuum digestionis instrumentum, ad quod alia
quæcumque referuntur digestionis instrumenta. Porro illa omnia sigillatim resole-
ve, nullum profecto reperies quod à Naturæ instituto ad actionem succorum dissol-
ventium adjuvandam, non sit destinatum; tritus enim ille, qualis in homine & qua-
drupedibus sit in ore, in avibus autem in ventriculo carnoso, non est nisi actio prævia
quâ ad dissolutionem disponuntur alimenta. Hunc in modum Chemicus ex aliquâ
substantiâ durâ, verbi gratiâ, Guiaco resinam aut oleum extrahere intendens, Guia-
cum in munitissimum pulverem redigit, scilicet ut illud actioni dissolventis magis pa-
teat. Sed quantumcumque trituraveris, si dissolvens non applicetur, nihil plus pro-
ficies; & hæc est ratio quare in ruminantibus, si consideraveris foenum in reticulo,
idem prorsus ad foenum vulgate, licet post repetitum sub dentibus attritum, appareat,
nisi quod in particulas minutissimas sit concisum, majorique humiditate perfusum.
In sequentibus ventriculis nulla mutatio essentialis conspicitur nisi in abomaso, ubi
in liquorem viridem convertuntur alimenta, quibus abundè patet dentium trituram
digestioni inservire, non perficere digestionem. Illud calori ventriculi humido & aëris
elastici expansioni applicari potest. Utrumque certè multum valet ad digestionem
promovendam, sed prout liquorum dissolventium intendit actionem: menstrorum
enim efficaciam mirum in modum calor adauget, in quo quidem opere ab aëre rare-
facto, reperculo non parùm adjuvatur; undè in machinâ papinianâ & celeriores &
intimiores fieri corporum solutiones fidâ constantique docemur experientiâ. Ex eo
igitur constat calorem in totâ alimentorum viâ, de naturæ instituto ad actionem succo-
rum dissolventium esse destinatum, quod per se hanc promoteat, ut patet ex Chemicis,
& aliundè concipi non possit quo alio modo digestionem juvaret. Quid dicam de
actione ventriculi in ingesta? Nonne in propatulo est, hanc nihil aliud esse quam
mollem versationem quâ modo huc, modò illuc impelluntur alimenta, ne ulla cibo-
rum particula dissolventium actionem effugiat. Omnia ergo alia digestionis instru-
menta ad hanc referuntur actionem.

V.

SED dum pro simplici alimentorum in ventriculo dissolutione jam concludimus,
Ecce novus metu ferè asscutis incumbit labor, fermentationis nempè fautorum
captiolas refellendi objectiones: quæcumquæ enim ad ciborum dissolutionem adju-
vandam concurrere superius probavi, illud quâdam veluti necessitate fermentationem
producere contendunt. Quoties nempè, inquiunt, materia fermentationis cum calore
proprio, & aëre adest, non potest fieri quin oriatur fermentatio; sed panis ex indole
suâ acescit, fermentatur, carnes suâ sponte in putredinem vergunt; nascetur utique
fermentatio, & eam fieri efficaciter demonstrant ascendentis ructus & vagi borborig-
mi. Evidem fateor in ventriculo materiam adesse fermentationis capacem cum calore

& aere; sed ibi quoque adsunt plura fermentationis impedimenta, nemp̄ calor ventri-
culi multò major quam ad fermentationem requiritur. Præterea in ventriculo abun-
dantis humoris perpetua fit accessio, in duodeno bilis acerrimæ affusio; quæ ambo
fermentationi sunt infensissima; adde quod ventriculus perpetuò agitetur tūm proprio
motu vermiculari, tūm alternâ diaphragmatis depressione, viscerumque abdominalis
repressione. Porro omnes norunt quantum fermentationi obstat agitatio. Non potest
igitur à priori probari fermentationem fieri in ventriculo: nec magis à posteriori. Qui
sunt enim effectus ex quibus præsentia ejus demonstretur? Num ructus acidi, tor-
mina ventris aut vagi borborigmi? Quæ contingunt in digestione perturbatâ vel des-
tructâ, nisi forsàn quis dixerit primum requiri fermentationis motum ut vegetabilium
firmior laxetur mixtio, sicque naturæ animali propius accedant. Sed ille motus tan-
tum videtur locum habere in iis quorum nimia debilitas alimentorum tenaciorem non
potest superare naturam. Quibus autem robusta contigit corporis constitutio, hanc
ad fermentationis motum vegetabilium propensionem facile vincunt, horumque ruc-
tus nidorem sæpius alkalescentem, quam acidum spirant. In his igitur validâ tantum
solidorum, succorūque dissolventium actione sit, ut vegetabilia suam paulatim
amittant tenacitatem: imd̄ quibus propter debilitatem vegetabilia in ventriculo ace-
cunt, acidam illam brevè in duodeno deponunt indolem, simul atque bilis cum ma-
teria chyli pultaceâ miscetur, ita ut fermentationi chylificatio nullo modo possit al-
teribi, nedum fermentatio pro præcipuo haberi debeat digestionis instrumento. Ego
verò, cùm superius solidis, ut mihi videtur, argumentis demonstraverim succorum
dissolventium actionem, 1°. ad digestionis essentiam consituendam immediate con-
currere. 2°. ubique, semper, & abundantius in totâ alimentorum viâ reperiiri. imd̄
solam penè quandoque digestionis opus perficere. 3°. omnia alia digestionis instru-
menta ad ipsam referri, quidam impedit quominus concludam quod probare intenderam.

Ergo Succorum dissolventium actio, præcipuum est digestionis instrumentum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. PETRUS JOSNET, Professor Antonianus.

M. HENRICUS MACQUART, Professor Mallius, Praeses.

M. THOMAS LARBRE, Professor Antonianus & Decanus.

M. LUDOVICUS-HYERONIMUS RAUSSIN, Prof. Scholarum.

M. HENRICUS NINNIN, Serenissimi Principis
Claromontii Comitis Medicus ordinarius, Professor Scholarum.

M. PETRUS JOSNET, Professor Scholarum.

M. DESIDERIUS LE CAMUS.

Proponebat Remis. JOANNES RAYMUNDUS. BAILHERON, Bitterensis,
Artium Magister, nec non Saluberrimæ Facultatis Parisiensis
Alumnus. A. R. S. H. M. DCC. LV.

PRO BACCALAUREATU.